



2b. 15



107.
121

DE
SYLLOGISMI
NATURA

DEO faventi & præsen-
ti

Publicè disputaturus est

M. GEORGIO **Sustenhofer** F.

PRAESIDE

CHRISTOPHORUS **Scholtz**
Vratislaviensis.

VIII. Kalend. Februarij. ANNI
M DC XXIII.

In Collegio Majori



Literis

HARTMANNIANIS.

THEMA I.

Instrumentum Logices nobilissimum est Syllogismus, per quem tertius mentis humanæ actus homini maximè proprius, dirigitur, cujus beneficio λόγος seu ratio nostra ἔργον propugnaculum nostrum rectè dici potest, veritatè namq; propositionum distinctè colligit, eamq; à falsitate discernit. De eo in præsentiarū paucis acturi sumus.

II.

Definitur Syllogismus (α) à Philosopho: λόγος ἐν ᾧ τὸ φέροντων τινῶν, ἐπεὶ ἔστιν τι τῶν κειμένων, ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει τὸ ταῦτα εἶναι (β)
Oratio in qua (γ) positis quibusdam, (δ) diversum quid à positis, (ε) necessariò colligitur, (ζ) eò quod hæc sunt.

(α) Συλλογισμὸς Arithmeticum est vocabulum, & dicitur à συλλογίζεσθαι quod rationem subducere, & multos numeros consummare significat: undè & in differendo est aliud ex alio certa quadam ratione colligere & concludere, quod fit per Syllogismum, in quo conclusio veluti summa quadam ex præmissis colligitur: vel etiam sicuti quartus terminus ignotus in Regula aurea, ex tribus datis & notis terminis proportionalibus elicitur & computatur. (β) Genus Syllogismi est λόγος Oratio. Per λόγον autè πρώτως intelligimus τὸν ἔσω λόγον seu ἐνδίαδειτον, δευτέρως τὸν ἔξω vel προφορικόν. Non enim essentialè est in discursu, voce proferri, & potest homo inuis secum, in seipso, ad sese, pro semet facere Syllogismum. Scaliger Exerc. 307. s. 23. i. post 10. § 7. (γ) h. e. duabus propositionibus & tribus terminis, quos legitimè in certa figura ac modo dispositos esse oportet. Alij, quos inter Zabarella & Conimbricenses, posita τεθέντα, concessa interpretantur, decepti verbo τίθεισθαι quod ὁ Top. plerunq; pro concedi sumitur. hoc loco autem τεθέντα, posita sive ἀκφθέντα sumta valere argumento esse possunt reliqua vocabula κείσθαι καὶ εἶναι, quibus in eodem negotio ad idem utitur Aristoteles i. prior. i. i. Top. i. i. Sophist. Elench. c. i. i. Rhetor. c. 2. Nec etiam per concessa explicari potest: nam argumentatio non valeret, nisi adversarius præmissas concederet: cum tamen Syllogismus educat conclusionem, non propter concessionem adversarii, sed propter

pter dispositionem terminorum, quæ invito quoq; adversario fidem facit. (δ) hoc est conclusio, quæ diversa esse debet à præmissis, non quidem materia, sed forma tantum, ita ut alia sit eorundem terminorum qui fuerunt in præmissis, dispositio, cujus causa est terminus medius interveniens, si enim iidem termini eodem modo in conclusione ac in præmissis dispositi essent, atque ita conclusio ab iisdem non esset diversa, principium peteretur, & idem ad sui ipsius probationem assumeretur, quod tamen fieri non debet, cum præmissæ notiores esse debeant ipsa conclusione, utpotè ejus sunt causa. (ε) Ex necessitate formæ, non materiæ. (ζ) I. Sophist. i. συμβαίνειν exponitur per συνάγειν. (κ) hoc est, διὰ τῶν κειμένων i. Top. c. i. & l. c. propter posita. sequitur quippe conclusio ad præmissas positas, quarum est effectus, nec ullo externo termino opus est, ut sit necessaria consecutio, uti seipsum explicat Aristoteles.

III.

Partes Syllogismi duæ sunt: Materia & Forma. Materia duplex est: Proxima & Remota. Proxima Syllogismi materia sunt (α) Propositiones duæ & (β) Conclusio, è quibus immediatè constituitur Syllogismus & in quas proximè resolvitur.

(α) Propositiones sive προτάσεις dicuntur, quia tanquam munimentum præmittuntur conclusioni, & illi obtenduntur, quod est προτείνεω. quare quam diu salvæ sunt propositiones, tam diu salva est conclusio, neque hæc vel negari, vel debilitari potest, nisi negata aut debilitata antè propositione. πρότασις autem, Propositio, & ἀπόφανσις Enunciatio, de qua Aristoteles in libro de Interpret. re idem sunt: differunt tantum ratione. Enunciatio enim dicitur, dum secundum se & absolutè sumitur; Propositio verò quatenus est in Syllogismo. Quamvis autem conclusio, quæ etiam est enunciatio, propositio non sit, si nomen spectemus, rectè tamen eos loqui contra Zabarellam statuimus, qui conclusionem vocant propositionem, utpotè cui definitio πρότασις ab Aristotele posita convenit, cum in conclusione quoq; aliquid de aliquo affirmetur vel negetur. Ab Etymologia autem infirma ducuntur argumenta, imò interdum nihil probant, quan-

quando notatio non est adæquata notato, quod fit hoc loco. nam notatum, propositio, ut ex ejus definitione probavimus, non tantum præmissis, sed etiam conclusioni competit, quæ tamen non præten- ditur, aut aliquid proponit, ex quo aliud colligatur. (β) Syllogis- mum essentialiter & intrinsecè constare illatione, adeoq; conclusio- nem Syllogismi partem esse, probatur ex eo quod sit discursus: omnis autem discursus intrinsecè & essentialiter includit illationem, aliàs nullum esset inter secundam & tertiam mentis operationem discrimen. Idem patet ex Syllogismi definitione. Definitur enim λόγος ὁ ἔξ ἑτέρου τι συμβαίνει. Oratio in qua, non ex qua conclusio infertur. Judicat igitur Aristoteles, in Syllogismo esse & illud ἕτερον aliud, sive conclusionem, & τὸ δέντα posita.

IV.

Propositio alia est major, alia minor. (α) Major continet prædicatum quæstionis cum medio, & primo loco ponitur. In (β) Minori subjectum quæstionis cum medio disponitur, & secundum locum obtinet. (γ) Conclusio ex præmissis infertur.

(α) Dicitur κατ' ἐξοχὴν Propositio. (β) Dicitur aliàs πρόσληψις assumptio, item subsumptio. Assumptio, quia in minori medius terminus è propositione assumitur. Subsumptio præcipuè respectu primæ figuræ, in qua subjectum minoris, tanquam particulare, sub subjecto majoris, tanquam universali, sumitur & continetur. (γ) antè constitutionem Syllogismi dicitur πρόβλημα sive quæstio: post Syllogismi constitutionem συμπέρασμα, Conclusio, Complexio.

V.

Materia remota sunt termini. Terminus Græcè (α) ὅρος ὅστις εἰς ὃν ἀφ' οὗ λέγεται ἢ ἀποτίθεται. οἷον τὸ τε κατηγορούμενον, καὶ τὸ καθ' ὃ κατηγορεῖται, ἢ ἀποτίθεται ἢ ἀφ' οὗ λέγεται, ἢ μὴ εἶναι. In quem resolvitur propositio; ut attributum & id cui at- tribuitur

tribuitur, (β) sive adjiciatur, sive separetur esse vel non esse.

(α) Propositiones Aristoteles non semel nominavit διασμήματα intervalla, cujus ratione & partes Syllogismi minores ὄξυστερ-
minos vocavit, ob similitudinem linearum Mathematicarum, quæ certo intervallo distantes, intervalla dicuntur, & singulæ duobus punctis terminantur: nam & in propositionibus longitudo quædam esse videtur, quatenus ex duobus terminis, eadem punctorum instar terminantibus, & copula constant. (β) hoc est, Prædicatum & subjectum termini sunt, sive adjiciatur copula est, sive non. Quibus verbis innuit Aristoteles verbum substantivum est, sive copulam, terminum non esse, cum in medio ponatur, juxta mentis & significationis ordinem: terminus autem non appelletur, nisi quod est in extremitate propositionis.

VI.

Terminus (α) dividitur in (β) Extrema & Medium. Extremorum unum majus est, alterum minus (γ) Majus est prædicatum quæstionis sive conclusionis. Minus, subjectum Medium est, quod bis ponitur ante conclusionem & majori extremo junctum, efficit majorem propositionem; minori, minorem: unde necessariò infertur conclusio.

(α) Termini vox latè patet, & tam medium quam extrema complectitur, quæ in thesi distinguuntur. In quolibet autem Syllogismo sunt tres tantum termini: quæstio namque per Syllogismum probanda duos continet terminos, majorem & minorem, quorum unum alteri inesse vel non inesse ut ostendatur, assumendus est tertius, vel utrique vel saltem alterutri extremorum affinis, qui medium & causa est, cur prædicatum quæstionis, subjecto vel attribuatur, vel ab eo removeatur. Atque hoc medium unicum esse oportet: nam si ejusdem conclusionis seu quæstionis

tionis plura sumantur media, non unus sed multi sunt Syllogismi. Ex his colligitur, horum terminorum combinatione duas tantum propositiones, non plures in Syllogismo constitui, quæ causa sunt conclusionis, sicut dictum in thesi. Ut enim subjectum quæstionis cum prædicato ejusdem cohæreat, necessè est medium terminum cum utroque conjungi: ut verò à se invicem removeantur, necessè est medium cum alterutro, subjecto scilicet vel prædicato quæstionis conjungi, ab alterutro autem removeri. (B) Subjectum & prædicatum conclusionis Aristoteles tantum vocat *ἄκρα* extrema, idque respectu medij termini, qui medium in prima figura locum obtinet, majorique extremo angustior, minori communior est, extra quem ea in conclusione, extrema Syllogismi parte, connectuntur. (γ) Cum termini in propositionibus actu secundum dictum de Omni & Nullo dispoantur, illum terminum qui prædicatione supremus omnium est, majorem vocamus, & propositionem in qua est, majorem propositionem, illum verò qui subjicitur cæteris, dicimus minorem, & illam propositionem minorem appellamus: Quando verò ex ipsorum terminorum in propositionibus prædicatione nullus potest ipsorum ordo desumi, quoniam in propositionibus non sunt ita positi, ut alter altero prædicatione superior sit, sed in loco æquali sunt constituti, Major vocatur prædicatum quæsti, Minor subjectum. Zabarel. cap. 10. & 11. de 4. fig. (δ) Medium duplici ratione est medium: aut *φύσει*, ratione virtutis & efficacæ inferendi conclusionem, qua ratione in omnibus figuris vocatur medium, quia causa est, qua intercedente media inter subjectum & prædicatum quæstionis, prædicatum cum subjecto cohæret, vel non cohæret: aut *δέσει* positione, quod mediam inter extrema sedem habeat, qua ratione non est medius, nisi in sola prima figura Zabar. lib. cit. c. 2.

VII.

Forma Syllogismi consistit in legitima terminorum & propositionum dispositione, ad quam certa

ta

ta aliqua conclusio, in certa figura ac modo, necessariò
consequitur.

VIII.

Principium & fundamentum omnis dispositio-
nis Syllogisticae est dictum de Omni & de Nullo. Di-
citur autem τὸ κτ' παντὸς κατηγορεῖσθαι, ὅταν μηδὲν ἢ τὸ ἴσο-
κείμην λαβεῖν, καθ' ἃ ἴστέρον ἔλεχθήσεται καὶ τὸ κτ' μηδενὸς ὡ-
σύντως. quando nihil est sumere subjecti, de quo alte-
rum (hoc est prædicatum) non dicatur. De nullo
prædicari eodem modo, hoc est: quando nihil est su-
mere subjecti, de quo alterum non removeatur.

Ex dicto de omni originem ducunt omnes Syllogismi affirman-
tes, quemadmodum ex dicto de nullo omnes negantes, tanquam
ex principiis discursus naturalibus. Hoc dictum de Omni &
Nullo non solum est propositio universalis affirmativa & nega-
tiva, sed integer Syllogismus: dum enim supremum terminum
qui est majus extremum, de secundo quod totum dicitur respectu
infirmi termini, & est medius terminus in Syllogismo, prædicamus
universaliter, facimus propositionem majorem, quæ innuitur
verbis dici de Omni aut de Nullo, & semper est universalis,
(si enim esset particularis, non adesset ibi dictum de Omni &
de Nullo) sed nunc affirmativa nunc negativa, ut, O homi-
nes sunt mortales: Nulla planta sentit: dum autem sub toto par-
tes sumimus, minorem propositionem subnectimus, quæ signifi-
catur his verbis: Sumere aliquid subjecti, & semper est affirmati-
va, aliàs totum & partem non haberet, ut: O Reges sunt homi-
nes: O ficus est planta: quum verò subjungimus, prædicatum
illud supremum, ita de parte prædicari, ut de toto prædicaba-
tur, conclusionem colligimus, ad quam referuntur illa verba, de
quo alterum non dicatur, vel removeatur, & hæc tam affirma-
tiva quam negativa, universalis & particularis esse potest, dum in-
qua-

qualitate majorem, in quantitate minorem imitatur, ut: E. O. Reges sunt mortales. E. N. Ficus sentit. Ex his manifestum est, dictum de omni & de nullo solam primam figuram continere: dictum enim est, totum in majori subjici supremo termino, in minori verò de parte prædicari, qualis dispositio tantum est in prima figura, ubi medium est medium *δέσει*, cum in reliquis figuris extra extrema ponatur, unde horum principiorum vis & efficacia non conspicitur: quæ ut conspicua fiat, opus habent Syllogismi secundæ & tertiæ figuræ REDUCTIONE ad primam. Zabar. de 4. fig. Syll. c. 6. Idem autem est τὸ κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαι δάτερον δάτερον, καὶ τὸ ἐν ὅλῳ εἶναι ἕτερον ἑτέρῳ, dici de omni, & in toto altero alterum esse: differunt tamen ratione; verbi gratia: O. homo est animal, hîc animal dicitur de omni homine, & homo inest toti animali. Ex quo perspicuum est, Dici de omni ad prædicatum, esse in altero ad subjectum referri.

PROBLEMAT A.

1. An Syllogismi singulares sive proprii primæ & secundæ figuræ meritò vocentur *σιδηρόξυλα* *Eiserne hölzer* & N.
2. An nugæ sint, quod Keckermannus negat, singulares Syllogismos habere dictum de Omni & de Nullo: sicut non incelebris Philosophus in præl. extemp. p. 637. arbitratur? N.
3. Contradicit ne sibi, qui totum Syllogismum, ut partem illius videlicet enunciationem, per orationem definiendum asserit: Orationem tamen sermocinalem à definitione Syllogismi prohibet cum Dn. Arnisæo?

✻ (. .) ✻

Ja 666

ULB Halle 3
002 177 021



5b-700

V017

MC






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



1090
121

ISMIA
A
præsen-
us est
tenhofer F.
E
S Scholtz
rij. ANNI
II.
Majori
IANIS.

